





19.

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA  
DE  
**MEDICAMENTORVM**  
**MERCVRIALIVM**  
CVM SALIBVS PARATORVM, EFFICACITATE,  
PER ADIVNCTVM SVLPHVR AD CERTOS QVOS-  
DAM MORBOS MAGIS ACCOMMODANDA

---

QVAM  
SVMMI NVMINIS AVSPICIIS  
ET  
GRATIOSI ORDINIS MEDICI INDVLTV  
P R A E S I D E  
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO  
**DN. D. ANDREA ELIA BVCHNERO**

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,  
POTENTISSIMO PRVSSIAE REGI A CONSILIIS INTIMIS,  
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,  
FACVLTATIS MEDICAЕ H. T. DECANO,  
IMPERIALIS ACADEM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE  
ET COMITE PALAT. CAESAREO,

**PRO GRADV DOCTORIS**  
SVMMISQUE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
LEGITIME IMPETRANDIS,  
D. XIX. AVGVSTI, A.S.R. C<sup>o</sup>I CCCLIV.  
**IN ALMA REGIA FRIDERICIANA**  
PVBLICE DEFENDET  
AVCTOR  
**IOANNES ERHARD RICHTER**  
LOBENSTEINIO - VARISCVS.

---

HALAE MAGDEBURG. LITTERIS HENDELIANIS.

10  
DISSERTATIO IN VAGABUNDIS MEDICIS  
MEDICAMENTORVM  
MERCATORIUM  
CVM SATRVS FARATORVM ET TINCTURATE,  
PER AVINCIVM SVPHAR AD CERTOS GROS.  
DAM MVRBIS MAGIS ACCOMMODANDA

GRATIOSI ORDINES MEDICI INDIVITA  
PRÆSIDE  
ALIO TITULI EQUITATIS ET EXCELSITATIS  
SCVLPI NAMINIS AVSPICIES  
POTISSIMUM PRASSIVE REGI A CONVENTU TUTTUS,  
MEHICINE ET ALIAS ORNATAE NATURALIAE HONORES ET ALIAS ORDINES  
RECOLLATIS MEDICIS ET HERBALIS  
IMPERIALES ACADEMIE NATUR ORNATORI ERNSTIDE  
ET COMITE FALCI CAVRARO.

PRO GRADU DOCTORIS  
SUMMAY IN MEDICINA HONORIBUS ET REHICINE  
LITERATIS MELLITRIBUS  
D. J. K. AVARATI. A. J. C. D. C. A.  
IN ALIA REGIA TUDERICIANA  
ZAPTOES OPERIBUS  
AVATOR  
JOANNES FRANCIS RICHTER  
LONDENSIS-AUTRACAS  
HAIE W. GÖTTSCHE. ULTRIS HEDELINUS

ILLVSTRISSIMO CELSISSIMOQVE  
COMITI AC DOMINO  
DOMINO  
**H E N R I C O II.**

IVNIORIS LINEAE RVTHENO,  
TOTIVSQUE  
CELSISSIONI STEMMASTIS HOC TEMPORE  
SENIORI,

COMITI AC DOMINO DE PLAVIA, DOMINO  
IN GRAIZA, CRANNICHFELDA, GERA,  
SCHLAIZA ET LOBENSTEINIO  
CETERA,

PATRI PATRIAECLEMENTISSIMO  
DOMINO MEO GRATIOSISSIMO

ILLUSTRISIMO CENSISIMO  
COMITI AC DOMINO  
DISSTATIONEM HANC IN AVGVRALEM  
DOMINO  
HENRICO II  
IN SUBMISSA ANIMI TESSERAM  
CVM  
IANORIS LINAE RYTHENO  
PERPETVO INCOLVITATIS VOTO  
TOTIASAE  
SACRAM ESSE VULT  
SENIOR  
CENSISIMO AETATE TEMPORE  
COMITI AC DOMINO DE FLAVIA DOMINO  
IN GRAYE CRANICHELDY GERI  
SCHLIVAY ET LOBBNSTENIO  
CETTERY  
PATRI PATRIAE CLEMENSIMO  
DOMINO AVCTOR CENSISIMO



DISSERTATIO INAVGURALIS MEDICA  
DE  
**MEDICAMENTORVM MERCVRIA-**  
**LIVM, CVM SALIBVS PARATORVM, EFFI-**  
**CACITATE, PER ADIVNCTVM SVLPHVR AD**  
**CERTOS QVOSDAM MORBOS MAGIS**  
**ACCOMMODANDA.**

PROOEMIVM.



Qui ad huius generis libellos aliquid praeloquentur, plerumque ad duo respicere solent momenta; partim ut instituti rationes atque finem paucis exponant, partim vero, ut gratiam colligant benevolentiamque lectorum. Atque hoc in primis & ingenii imbecillitas, & nondum subacta ab exercitio doctrina adolescentum postulat, cum primum ipsi scripta foras edere audent, primasque suas lucubrationes perire nolunt: illud autem in communi fere omnium scriptorum lege positum est atque

A 3

fanci-

## 6 PROOEMIVM.

sancitum, ut de eo, quem instituunt, labore  
praefentur, & aut dignitate argumenti at-  
que utilitate, aut novitate eiusdem lectorem  
faciant intentum. Atqui haec eadem agen-  
ti mihi &, ex more Academiarum antiqui-  
tus recepto, aliquid medicae commentatio-  
nis in lucem emissuro, idem hoc negotiū  
atque curae dari ratus sum, ut, cuius pertra-  
ctationem haec indictura est praefatio, tale  
esset argumentum, quale nec dignitate, nec  
utilitate multis cederet aliis, nec omnino  
omni novitatis gratia destitueretur. Cui  
ego proposito non potui, quin haud incon-  
gruum esse existimarem, si de eiusmodi di-  
spicerem materia, quae, ex copiosissimo  
medicamentorum apparatus selecta, certi cu-  
iusdam atque singularis remedii vires effe-  
ctusque ipsis manifestis veritatis indicis &  
apertissima rationis experientiaeque osten-  
deret demonstratione. Quod consilium  
animo quum circumspicerem, oblata mihi  
est forte chemica quaedam Celeberr. *Caroli*  
*Friderici HVNDERTMARKII* Dissertatio,  
quam ille paucis abhinc mensibus, *de Mer-*  
*curii vivi & cum salibus varie mixti summa*  
*in corpus humanum vi atque efficacitate,*  
*cuius-*

*eiusque cum sulphure laxius vel arctius con-  
iuncti virtute in idem nulla, conscripsit Li-  
piaeque publice defendit. Meae est con-  
fuetudinis, cui iam satis longo abhinc tem-  
pore continuo obsecutus sum, quicquid ac-  
cipio librorum, anteaquam illud legendo  
penitus cognosco, ex ipsa inscriptione, praef-  
fatione, praefixisque forte capitum titulis ad  
singulare & velut praevium revocare exa-  
men, mihiique apud animum curatius pro-  
ponere, quicquid ipse de eadem materia ha-  
beo exploratum. Saepenumero exinde fa-  
ctum esse sensi, ut, conferenti mea placitis  
sententiisque aliorum, mihi partim cum iis-  
dem convenerit, partim veteres errores de-  
tracti fuerint, partim falsae praeiudicataeque  
aliorum opiniones, speciosa saepe experi-  
mentorum non recte captorum temeritate  
adfirmatae, non obscure constiterint, partim  
deinde varia ad illustrandam perfectiusque  
demonstrandam eam, in cuius lectione ver-  
sabar, materiam porro facientia venerint ad  
mentem. Neque alio animo evolvi primo,  
deinde attentius perlegi paulo ante dictam  
commentationem *Hundertmarkianam*: quae  
mihi cum quidem iam conceptam de infra-  
ctis*

Etis a sulphuris connubio mercurii vivi virtutibus medicis opinionem luculenter confirmavit, tum vero maxime animum illarum virium haud inefficacium memoria refricare coepit, quas ipse saepius, ex quo medicinam feci, in medicamentis mercurialibus, non illis quidem ex mercurio & sulphure simpliciter confectis, sed salium ope paratis, & tunc demum in sulphuris consortium adscitis, deprehendi. De quibus in praesentieo lubentius ero animadversurus, quo facilius & ipsa huius generis medicamenta velut ab aris focisque Medicorum a Cl. HYNDERT MARKIO electa possent existimari. Illud autem a me agendum nunc esse arbitror, ut *primo* medicamentorum mercurialium cum salibus paratorum atque sulphuri nuptorum vires efficacitatemque generatim paucis notem & evidenter, quas & ratio offert & experientia, probationibus ostendam; *deinde* vero de potioribus illis morbis separatim dicam, quibus dicta haec ex mercurialium genere remedia perquam accommodate proponi possunt. Atque haec erunt commentatiunculae huius meae Capita, quae pro tenui virium parte impraesentiarum sum pertractaturus.

CAPVT



9

CAPVT I.  
DE  
MEDICAMENTORVM MERCVRIA LIVM  
CVM SALIBVS PARATORVM SVLPHVRIQUE  
NVPTORVM VIRIBVS MEDICAMENTO.  
SIS GENERATIM.

§. I.

Operae fakturus pretium mihi omnino non videor, si, dum mercurii cum salibus varie coniuncti, deinceps cum sulphure quomodounque mixti haud vanam demonstrare instituo efficacitatem, ab ipsa paene origine ultima huius singularis corporis metallici natales, nomina, naturam, vires, atque varias eiusdem aliis corporibus collati mutationes vicissitudinesque repeterem, & ex omni velut eruerem antiquitate. Quae enim ab aliis, in quibus eloquentia deprehenditur sonantibus verbis sententiisque facilibus abundans, scite atque apposite dicta putantur, a me, dicendi copia minus valente, forsitan parum commode atque opportune hic exposita aestimatum iri, animo haud temere prospicio. Persequar ergo rem propositam, quoad potero, brevissime, vires indolemque hydrargyri, dictis paullo ante rationibus cum sale sulphure que copulati, sine longis verborum ambagibus definitur.

§. II.

Enimvero dum de singulari hoc medicamentorum genere, ad mercurii familiam pertinente  
B (§. I.),

(§. I.), speciatim dicere adgredior; ad *tria* potissimum *momenta* sua sponte vertere se omnis mea videretur oratio, salutares horum remediorum virtutes hoc capite generaliter comprehensura. *Primo* enim exponere me oportet lecturis, qualia praecipue medicamenta, ex salium cum mercurio coniunctione oriunda, hic intelligi velim, & quale ipsis, habita instarum virtutum ratione, statuam pretium; *dein* dicendae sunt sulphuris, tam vulgaris, quam alio quodam de minerali corpore educti atque separati vires; *tertio* denique praesertim huius interest instituti, explicatus ostendere, qui qualesve effectus a coniunctis hydrargyri, salinis particulis impliciti & subacti, atque sulphuris viribus singulariter possint debeantque exspectari. His enim singulis ad liquidum exacte perductis & ad rationes suas strictim revocatis, haud adeo difficilis futurum est operae, peculiares eos, quibus dicta remedia mercurialia, non sine insigni levamine atque emolumento, proponi possunt, morbos accuratius dijudicare.

## §. III.

Tam varius autem, tamque multiplex mercurii, cum cuiusvis paene generis salibus coniungendi (§. II.), modus est inventus, ex quo Chemicorum solertissimi a), quos nostra patrumque nostrorum

a) E quorum haud exiguo numero nominatim recensere licet Herm. BOERHAAVE in *Element. Chemiae* Tom. II. Proef. CXCIII—CCIV. Illustrum Io. IVNCKERV<sup>M</sup> in *Conspicua Chemiae* Tom. I. Tab. XXXIX. pag. 982. sq. edit. lat. & b. m.

*de medicamentorum Mercurialium, &c.* II

rum aetas tulit, in peculiari hoc corpore metallico, reparandae aegrotantium saluti magis accommodando, post diversas alias, alio consilio suscep<sup>a</sup>tas b), eiusdem analyses, non mediocrem consumserunt operam: ut diffusus, ne dicam infinitus sit labor, singulas enarrare rationes. Solum itaque ex his eminentiori usu celebre medicamentum, hydrargyrum nempe primo per coniunctum salis communis spiritum acidum vehementissima mortiferaque acrimoniam instructum, ab addita vero copiosiori sui generis materia metallica denuo delinitum atque mitigatum, hoc est, ut suo nomine rem exprimam, *mercurium dulcem* praesenti specimine, respectu efficacitatis suae, consideratum exhibeo. Neque tamen reliquias materias, salino atque mercuriali connubio ortas, in primis usitatores illas, Turpethum minerale, arcanum corallinum mercuriosque reliquos praecipitatos, qualicunque cognomine insignitos c), data occasione passim non attingemus.

§. IV.

b. m. Frider. HOFFMANNVM in *Dissertat. de mercurio & medicamentis mercurialibus selectis*, Halae 1700. ut quam plurimos alios silentio praetermittam.

b) Scilicet ut alchemica arte mercurius in aliud quoddam nobilius metallum immutaretur.

c) Quot autem, quibusve modis singula haec corpora mercuralia, salium ope densata atque compacta, legitime praeparari debeant, maxima eorum pars, qui de chemicis artificiis praeceperunt, adeo perfecte luculenterque exposuit, ut eadem traditurus ego supervacaneo occuparer labore. In primis vero, praeter auctores nota a) commendatos, legisse harum operationum chemicarum gratia

Illud autem, dum in singulari hoc remediorum mercurialium, salibus armatorum, exemplo (§. III.) consisto, ante omnia expediendum mihi videtur, ut demonstrem *primo*, qua ratione tantos tamque incomparabiles effectus, a quotidiana medicinam facientium experientia confirmatos, certa efficacitate edat mercurius dulcis, *deinde* vero ut eiusdem virtutes medicamentosas singulatim evolvam. Verum enim vero quo facilius haec, quae ad virium simplicem nudamque commemorationem spectant, disputantur, eo maioribus & paene inextricabilibus implicita est difficultatibus cognitio modi, quo minima saepe mercurii, vario sale coniuncti, moles, maximas adepta vires, in humano corpore gravissimarum mirabiliumque mutationum fons sit atque origo. Vnde etiam factum est, ut plures vel summi celebratissimique nominis medici d) ingenue confiteri non erubuerint, omnia eiusmodi mirifica effecta singulari mercurii naturae, per experimenta sola cognoscenda, attribui oportere, medicoque interim sufficere, novisse, quid agat argentum vivum, humano corpori applicatum, licet modum, quo

*Frider. HOFFMANNI Adnotat. ad Petri POTERII Pharmacop. Spagyric. Libr. II. Cap. XIII. & MACQUER Elementa de Chymie-Pratique Tom. I. Sect. 2. Chap. VII. du Mercure, neminem poenitebit.*

d) Ex quibus instar omnium, in primis nominandus est illustris *Ger. L. B. van SWIETEN* in *Commentar. ad Herm. BOERHAAVE Aphor. de cognosc. & curand. morb. Tom. I. pag. 209.*

quo agat, ignoraverit. Faciam tamen huius, licet arduae, rei periculum, haud desperans, fore, ut sicubi erravero, aequi benevolique le<sup>t</sup>tores mihi ignoscant.

§. V.

Atque ut eo rectiori via in rationes inquiram, unde vires hydrargyri dulcis efficacissimae reddi videntur (§. IV.), sequar porro vestigia summorum atque in indagandis veris medicamentorum virtutibus curiosorum medicorum, & illarum denuo *partium*, quae coniunctim ad constituendam huius *mercurialis remedii* compagem inter se coierunt, simplices atque seorsim spectatas vires partim ex experimentis, huius rei causa sumtis, cognitas proportionam, partim, quoad potero, per chemicas efficiam evincamque ratiocinationes. Quodsi enim haec ad liquidum perduxero, tantum abest, ut hinc ratio effectuum, mercurii dulcis usum insequitorum, amplius ignorari possit; ut potius tum demum facile sit futurum dijudicatu, urbi partium, hanc materiem salino-metallicam (ut ita loqui liceat,) constituentium, potior eminentiorque attribuenda sit virtus, & quaenam generaliora in corpore humano effecta, si therapevticorum ratiociniorum usum adiungere lubeat, exinde merito possint exspectari.

§. VI.

Duo sunt, ex quibus inter se unitis *mercurius*, quem diximus, *dulcis* in unum illud album, crystallinum, & omnino non insolubile corpus coalescit, ipsum nimirum *hydrargyrum* simplex, fluidum, vulgo *vivum* appellatum, purum ceteroquin & nullis

B 3

alienis

alienis particulis inquinatum, & *acidus* ad hoc *spiritus salis* communis, undecunque e) ab aliis corporibus, quibuscum cohaeserat, liberatus. Atqui in hoc elementorum genere perfecte ipsi conveniret cum altero illo corpore mercuriali, quod ob summe acrem, erodentem, & sine attenta circumspetione intraetabilem, quam insitam habet, naturam sublimati corrosivi nomen adeptum est; nisi earundem partium, utramque massam conficientium, propotione, ponderis intuitu diversa, haud tenue virium & inde effectorum phaenomenorum constitueret discrimen. Qui enim tota circiter altera parte copiosior hydrargyro in rodente hac materia adhaeserat, spiritus acidus salinus, dein, facta nova mercurii vivi admixtione, haud aegre chemico artificio obtemperat, & alteram quoque mercurialem partem lubentissime arripit, eaque ratione se in minus formidabile, sed salutare potius medicamentum patitur immutari. Quod unde accidat, licet subtilioris est disquisitionis, deinde tamen, quantum per ingenii vires licebit, accuratori examinabimus cura.

### §. VII.

Atque primo quidem haud absurdum videtur instituti operis regulae, admodum paucis percurrente, quaenam potiora effecta *spiritus* illius *acidi* (§. VI.), in humano corpore aut aliquibus eiusdem parti-

e) Perinde ergo erit, ut eduxeris hoc acidum e sale culinari, marino, gemmae, an e sale ammoniaco, an e metallico quodam sodalitio, in quod Chemicus ipsum arte sua antea coniecerat.

partibus observabilia, medici experimentis cognoverint. Quodsi humores nostros primarios, mutationesque illis ab adfuso spiritu salino intentatos, seorsim spectemus, deprehendimus, adscitis in testimonium PITCARNII, BOERHAAVII & BOISSE-  
RII experimentis f), sanguinem non minus, ac serum exinde aliquod concipere coagulum, & rubicundiores in primis sanguinis moleculas compressiores fieri, propiusque inter se coniungi: contra ea vero lymphae, eodem acido perfusae, nihil eiusmodi accidere mutationis. Sed solidiores quoque humanae fabricae partes, quibus huius acidi liquoris gutta adsperrgitur, non eandem singulæ subeunt mutationem. Omnes scilicet, fibris carneis instrutæ, v. c. musculi, cor, oesophagus, ventriculus, intestina, vesica urinaria, uterus, arteriae, venae, vasa lactea, glandulae, &c. hoc liquore acido illitae, ad insignem irritantur contractionem oscillationemque g), a frequentiori autem atque copiosiori eiusdem

f) Plenius haec experimenta legi possunt exposita, Pitcarniana, in Archibaldi PITCARNII Element. medic. physic. mathemat. Libr. I. Cap. V. Boerhaaviana, in Herm. BOERHAAVE Element. Chemiae, Tom. II. Part. II. Process. CXIV. seq. & in Freder. SCHREIBERI Element. Medicinae physic. mathemat. Praemittend. §. 214. sq. & Boisseriana denique in BOISSERII Commentatione de medicamentis, in certas quasdam corporis partes agentibus, §. 62. n. 3) cuius versio germanica infra est Tom XI. Particulae I. Promtuarii litterarii Hamburgensis (*Hamburgischen Magazin*).

g) De quibus plura, ut solent, eximie disputatione Illustris Albert. von HALLER in Comment. Societas. reg. Göttingens. Tom.

dem illitu fibrae tandem, velut exsuccae ligneaeque, obrigescunt. Quibus iisdem phaenomenis, in quilibet ante dicta parte excitandis, *reliqui etiam spiritus minerales acidi, vitrioli, sulphuris, aluminis, nitriique, per quam apti sunt atque efficaces; ut experimenta de irritabilitate, quam dicunt, partium corporis nostri capta h), luculentius demonstrarunt.*

## §. VIII.

Longe autem ab his diversa *mercurii simplicis ac vivi* (§. VI.) sunt effecta, si ad corpus humanum applicetur. Suae naturae relictus, liquidus atque currens, nunquam penetrans nostri corporis canalibus, licet ore fuerit adsumptus, idoneus est observatus. Quamvis enim largiori copia epotum hydrargyrum intestinorum canalem, a fecibus obstratum atque obturatum, insigni suo pondere atque lubrica natura permeare, fecesque fortiori impulsu eliminare valeat: nequaquam tamen exinde sequitur, ut pari quoque lubrico motu in subtilissima illa corporis nostri vascula, quae humores vehunt, illabatur, nisi in summe minimas exilissimasque moleculas resolutum fuerit, simulque alieni generis particulas sibi adiunctas habuerit, quarum ope tam vasculorum tunicis, quam ipsis humoribus adhaerere possit. Quo facto hisce canalibus, liquores ferentibus, proprio suo pondere ad fortiorem contractio-

nem

Tom. II. Clas. physic. pag. 114. sq. & Clar. Io. Georg. ZIMMERMANN in *Dissert. de Irritabilitate*, Götting. 1751. item que Celeberr. Georg. Christ. OEDER in *Dissertat.* ciusdem argumenti, Hafniae, 1752.

*h) Conferantur auctores not. g) commendati.*

nem stimulum addit, & hinc partim maiori canali-  
um vi atque robore propulsum, partim ipsa sua  
gravitate in fluidas corporis nostri particulas pene-  
trans, easdem dissoluit, redditque mobiliores tenuio-  
resque. Singulariter autem in salivam agit eidem-  
que haud aegre adhaeret: utpote quod naturae  
mercurii longe esse convenientissimum, vel ipsa fa-  
cilius illa eiusdem cum salivali humore coniunctio,  
folo tritu perficienda, luculentissime testatur i).

§. IX.

Sed, dimissis his generalioribus partium, quae  
mercurium dulcem constituant, virtutibus (§. VI-  
VIII.), videamus porro, quid exinde argumentorum  
desumi possit, quod & ad rationes *compositae* illius  
*vis*, delenito huic *hydrargo instae*, explanandas fa-  
ciat, & instruat ad haec medicum ad subsecivas ma-  
gisque singulares eiusdem virtutes inde intelligen-  
das. Quod ut eo rectius efficiatur, fundamenti lo-  
co duo subiecta *conjectaria*, ex prioribus legitime  
deducta. Primo enim, quo maior acidae partis  
(§. VI.) quantitas huiusmodi mercuriali materiae  
coniuncta est, eo densius in coagulum sanguis se-  
rumque cogetur (§. VII.), lympha, huius condensa-  
tionis non particeps (§. cit.), adeoque mobilis & lu-  
brica, a rubicundis sanguinis moleculis, inter se ar-  
ctius coëuntibus, copiosius separabitur & velut ex-

C

prime-

i) Qua de re porro conferri meretur Clariss. BOISSIER Libr.  
cit. §. 70.

primetur *k*), solidiores partes, eae praecipue, quas antea (§. cit.), recensui, acrius efficaciusque vellicabuntur, siveque vitalis succi, subito quasi congelantis & compacti, usura privatae rigebunt (§. cit.), & hinc sublato illic omni fluidorum motu vehementissimum suscipient incendium, mox in gangraenam sphacelumque, quin etiam ipsam mortem desitum. Deinde vero, quo magis mercurialis illa portio (§. VI.) spiritum acidum salinum quantitate aequaliter superative, eo lenior moderatione vis irritans, exsiccans atque arrodens acidae partis erit, eademque minus hinc noxia facta coniunctim cum mercurio, in tantum modo salinis particulis involuto, in quantum ad cohaesione ipsius cum nostri corporis partibus, in primis vasculorum internis lateribus, ineundam sufficit (§. VIII.), minima prae reliquis vascula, sanguifera aequa, ac alios humores vehentia ad auctiorem ciebit motum, huiusque momenti intuitu exilissimas moleculas mercuriales in canaliculos hos propellat, fluidorum, praesertim salivae (§. cit.), interstitiis insinuabit, hacque adeo ratione humoribus dissolutionem intentabit, factoque leni & facile iterum solubili sanguinis ferique coagulo speciatim lymphae maiorem adferet tenuitatem.

## §. X.

Atqui haec dicta (§. IX.) si considerentur, haud diffi-

- k)* Distincte haec lymphae a reliquo sanguine separatio & velut expressio per coagulum facta videri potest in sanguine, vena secta dimisso & in orbem stanum effuso. Confer. BOISSIER Libr. cit. §. 62.

difficulter poterit definiri, quid subsit rationis (§. IV.), unde insignis quadam eminensque efficacitas cum singulariter mercurio dulci insita deprehenditur, tum vero universe omnibus reliquis corporibus, e connubio salium mercuriique vivi exortis (§. III.), vario tamen virium gradu, propria observatur. Huius enim rationis recte cognoscenda curiosum medicum oportet, antea ex Chemicorum demonstratis experimentisque exquisite esse edoctum, qua mutua salium hydrargyrique proportione, & quam arcto laxove coniunctionis genere singula medicamenta mercurialia, ad hanc classem spectantia, coailita sint atque conflata. Ut in proposito *mercurii dulcis* exemplo (§. cit. sq.) subsistam, revocari in memoriam a lectoribus volo dicta de partium, mercurium dulcem constituentium, proportione (§. VI.). Illa enim copiosa & mitigando saturandoque, ut Chemici aiunt, acido salis communis spiritui sufficiens mercurii vivi portio, quae composito huic medicamento mercuriali inest, efficit, ut ea phaenomena, quae in altero illo confectorio paullo ante (§. IX.) exposui, ab huius remedii usu certe atque praecipue eventura possint existimari 1). Sed exinde quoque facile poterit colligi, *mercurium praecipitatum album*, si proportionis, qua acidum salis communis

2) Contra ea, si priori consectorio (§.IX.) dictis conferatur mercurii sublimati corrosivi, quem vulgo dicunt, natura, tam praesentissimorum, tamque illaetabilium effectorum, quae ab ipso eduntur, ratio longe minus, ut alias, negotiorum exposituro faciet. Conferatur, si lubet, §.VI prae-  
sentis nostrae dissertationis.

hydrargyro commissum est, habita fuerit ratio, proxime ad mercurii dulcis naturam accedere commodumque internum usum. Enimvero, quoniam variae praeparandorum horum medicamentorum methodi saepenumero ipsam, quae solet esse, partium, quas dicunt, constitutivarum proportionem immutant *m*): accurati omnino interest medici, illius quoque modi, quo confecta sunt huiusce generis remedia, notitiam habere exquisitam. Ceterum quod reliqui liquores acidi minerales, corporis nostris intuitu, haud adeo dissimilia *n*) edunt effecta (§. VII.), reliquorum etiam medicamentorum mercurialium, qui cum his parari solent (§. III.), aestimatio diuidicatioque non incongrue ad expositas haec tenus rationes (§. VII. sq.) erunt instituendae.

## §. XI.

Sed haec (§. V-X.) impraesentiarum ideo proposita sunt, ut intelligatur primo tot tamque incomparabilium *ratio effectorum*, quae a mercurio dulci aliis:

- m*) Exempli causa iterum proponemus mercurium dulcem; de quo satis constat, eundem, si semel tantum ignis ope in sublimem cucurbitae chemicae partem fuerit elatus, nimis adhuc acrem atque rodentem, usuique interno minus idoneum deprehendi, contra vero a iusto pluries, v. c. vices repetita sublimatione plane infirmari & inertem ineffacemque reddi.
- n*) Maximam effectuum acidi salis communis & reliquorum spirituum mineralium acidorum, in corpore nostro observatorum, esse convenientiam, praeter autores supra not. f.) citatos, demonstrare quoque ea, quae Clariss. Geo. HEVERMANN in der *Physiologie ersten Theil*, Cap. XIII. §. 253. sq. hanc in rem disputavit.

aliisque remediis mercurialibus eduntur (§. IV.).  
Sequitur nunc porro, ut, quum mihi in circumscripta  
hac breuitate paene magis necessaria praeter-  
eunda sint, quam supervacanea amplectenda, medi-  
camentosas huiusmodi *mercurialium*, praesertim hy-  
drargyri dulcis, *virtutes* (§. cit.), prioribus ex ratio-  
nibus deductas, quoad brevissime fieri poterit, si-  
gnem stilo. Ad duo autem momenta generatim  
omnis horum medicamentorum vis atque efficaci-  
tas commodissime reduci posse videtur: alterum,  
quod omnes, qualiscunque generis fuerint, corporis  
nostris canales leni stimulo ad maiorem actionem ab  
his remediis irritantur; alterum vero, quod humo-  
res exinde efficacissime dissoluuntur (§. VII-IX).  
Ab hac ergo dupli *virtute*, *stimulante* atque *resol-  
vente*, quodvis aliud virium, mercurio dulci simili-  
busque medicamentis adscriptarum, subsecivum ge-  
nus suam trahat originem necesse est. Quas singu-  
las vires vel nominatim recensuisse, in praesenti fa-  
tis erit. Quid enim argumentorum habeant medi-  
ci, cur his remediis mercurialibus, & singulariter  
hydrargyro dulci, virtutes tribuant colliquefacien-  
tem, catharticam, aperientem, salivam moventem,  
mundantem, anthelminticam, & tantum non poly-  
chrestam: neque mihi tam festinanti extricare va-  
cat, neque, si vacaret, mei putarem adeo interesse  
instituti; quum, ceteroquin Therapiae generalis  
praeceptis usurus, easdem singulas vires ad univer-  
salium virtutum, irritantis atque resolventis, natu-  
ram per brevissima ratiocinia possem revocare.

C 3 §. XII.

(VI.) *scutulo aud.* §. XII. *m el b a g i s t r u p a l i o*  
 Venio nunc ad alteram prioris huius capitatis  
*particulam* (§. II.), quae *sulphuris*, tam *vulgaris*, quam  
 alio quodam de corpore *minerali* desumti, natura  
 virtuteque, quantum mea intererit, strictim evol-  
 venda occupabitur. Sed video mihi hic dari ali-  
 quod laboris compendium, in quod maxime confe-  
 renda est oratio. Scilicet iam satis abunde Chemici  
 demonstratum dederunt <sup>o)</sup>, qualemque sulphur  
 verum, sive fuerit, quod vulgare vocamus, sive a  
 connubio terrae cuiusdam metallicae abreptum at-  
 que separatum, sive denique quacunque arte com-  
 positum, semper tamen unum esse idemque. Pro-  
 inde dum sulphurum, alienae materiae metallicae  
 consortio subducentorum, extricandae sunt vires, ea-  
 dem, quod aiunt in proverbio, fidelia duos dealba-  
 bimus parietes, & *primo* de sulphure vulgari, vere-  
 que sulphurea sulphurum metallicorum portione  
 coniunctim dicemus; *deinde* vero varias illas varii  
 generis particulas metallicas, quae his simul insunt,  
 earundemque vires seorsim perpendemus.

## §. XIII.

Quod si ex *interna sulphuris* cuiusvis veri atque  
 simplicis (§. XII.) struetura atque *mixtione* vires  
 eiusdem aestimaveris, nullum profecto possit esse  
 dubium, quin eadem efficacissimae sint potentissi-  
 maeque; quum ex larga vehementissimi acidi vitrioli-  
 ci copia, paraque *materine* cuiusdam *inflammabi-*  
*lis*

<sup>o)</sup> Legantur e.g. Illustris *Ioan. IVNCERI* *Conspct. Chemiae*  
 Tab. XLV. & XLVI. Tom. II. p. 1. seq. edit. latin.

*lis* quantitate p) coalescat sulphur. At vero ipsam hanc speciosam virium aestimationem, diu satis inter medicos summa fide conservatam q), quorundam recentiorum medicorum studium, experimentis de remediorum vera virtute legitime capiendis impensum, longe imminuit & paene prorsus delevit. Scilicet in omni hac rerum universitate tanta demum *τε φλογίσῃ* in quoslibet spiritus acidos minerales, acresve metallorum quorundam terras deprehensa est vis atque potentia, ut ipsum, vel minimo saepe pondere cum his coniunctum, quicquid subest acri moniae aut venenatae indolis, deliniat, obtundat, eneruet, & tantum non inertissimum reddat. Atqui fidem verbis facturus meis, adponam exempla. Spiritus acidos salis communis, nitri, & ipsius vitrioli, acore suo rodente maxime noxios, leniores tractabilioresque & internis usibus idoneos fieri posse, neminem nunc latet, nisi eum, qui ne nomina quidem liquoris anodynī seu olei vitrioli dulcis, spiritus ni tri

- p) Si celebrissimo ceteroquin Chemicō, *Casp. NEVMANNO*, fidem habeamus, in integra sulphuris libra nondum duas materiae inflammabilis drachmae exstant, & cetera, quae quindecim unciarum & sex drachmarum pondus aequat, portio, merum est ponderosissimum vitrioli acidum. Confer. *Eiusdem Lectiones publicae von IV. Subiectis chymicis, vom Salpeter, Schwefel, &c. Berlin, 1732.*
- q) Cuius aestimationis recentissimum specimen exhibet Celeberr. *Georg. Christoph. DETHARDINI Dissert. de sulphure, praefantissimo bezoardico*, Rostoch. 1746. quacum omnino conferenda est Excell. *Ian. Herm. FÜRSTENAU Dissert. de sulphure & medicamentis sulphureis, Rintelii, 1745.*

tri dulcis, &c. perceperit audiendo. Semimetallicam stibii partem, commune fere illud vehementissimorum remediorum emeticorum alvumque subducentium promtuarium, in crudo, quod vocatur, antimonio comprehensam, medicinae loco adsumendum, quis adeo timet? Sed quae huius omnis mitigationis est ratio, nisi solum arctius inflammabilis materiae cum dictis acrioribus partibus initum confortium? Neque formidabilis illa arsenici vis, multo sulphure implicita, adeo est extimescenda. Taceo denique ipsas metallorum cuiuscunque generis calces, si largo Φλωγεσθαι impraeognatae fuerint, minus corpori nostro noxias saepenumero esse observatas r).

#### §. XIV.

Quantum ergo, his perpensis (§. XIII.), virium simplici sulphuri vulgari iure meritoque attribuemus? Evidem novimus, a viris summi inter medicos nominis exquisitissimaeque experientiae hodieque praedicari virtutes eiusdem diaphoreticas, alexipharmacas, expellentes, demulcentes atque anodynias, pectorales, anthelminticas, quid? quod, te-

ste

- r) Qua de re ipse *Illustris PRAESES in der Abhandlung von dem behutsamen Gebrauch metallener, insbesondere zinnerner Tisch- und Küchengefäße, quæ proposita est in den wöchentlichen halleschen Anzeigen Num. XXVI. Iq. An. 1753.* passim plura monuit: quibus adiungi possunt, quae Doctor D. WIPACHER in *Dissert. de Phlogisto, unionis rerum metallicarum medio, subinde eximie hac facultia, disputavit*, Lipsiae, 1751.

ste Stephano Franciso GODOFREDO s), alvum leniter lakantes, & quas non? Sed agedum! has laudes serio examinemus! Anteaquam vero certi aliquid definiamus, id a lectoribus nostris agi volumus, vt nobiscum ad tria huius rei *momenta* attendant. *Primo* sulphur ipsum, in qualicunque lixivio alcalino, mediocriter, vt aiunt, saturato, coctum, tantilla sui parte solvit, ut merito superficiariam dixeris solutionem t). *Deinde* idem vel siccum, vel aqua, mafestatum, si perparum incaluerit, aut tritu agitatum fuerit, singularem, quem exinde sulphureum nominamus, odorem de se spargit, eundemque ipsi perfusae aquae imperit; quae tamen dehinc in vapores lenissimo calore acta atque elevata ne minimas quidem, oculo conspiciendas, sulphuris particulas relinquit u). *Tertio* denique hic non praetervidenta sunt illa Physiologorum experimenta, quae, ad physicas chemicasque regulas instituta, in saliuali aequa, ac gastrica aquula nonnihil, in bile vero plus lixivi salis, quod e volatili est genere, deprehendunt x).

§. XV.

s) Videatur Steph. Franc. GEOFFROY Tractat. de materia medica, Tom. I. pag. 178.

t) Saturiori aurem huius generis menstruo perfecte dissolvi sulphur, testatur Illustris Io. VYNCKERVS Libr. cit. Tom. II. pag. 19. cui adiungendum est Celeberr. Io. Frider. CARTHEVSE in Fundament. mater. medic. Sect. XVI. Cap. I. §. IV.

u) Videatur Io. Frid. CARTHEVSE libr. &c loco citat.

x) Evidenter nō vimus versari adhuc in quaestione apud medicos sal hoc alcalicum salivae, succi gastrici & bilis: sed

Ergo *sulphur* ipsum, non aliis, quae dicunt, menstruis iam solutum, sed crudiori sua mole, sub pulveris specie, a ventriculo exceptum, tum *paucissimas* quasdam *subtilissimasque* sui generis *particulas*, acidas nimirum & inflammabiles (§. XIII.), minori, ac antea, cohaesione gradu inter se coniunctas, in ventriculo atque intellectinis, praefertim tenuibus, de se emitret, quae porro, humoribus ibidem contentis involutae, bibulisque vasculorum lacteorum osculis haustae, hinc ad sanguinem ferentur; tum vero omni reliqua sui parte, permeandis lacteis canalibus non idonea, alvo iterum eiicietur. Atqui hanc levem tenerrimarum molecularium sulphurearum solutionem probant partim lixiva salivae, aquae gastricae, & bilis salia (§. XIV.), partim excalefactione attritusque sulphuris, a motu ventriculi intestinorumque peristaltico effectus (§. cit.). Ad quod accedit, eam ob caussam supra a nobis minorem, in dissolutis eiusmodi particulis sulphureis, acidae inflammabilisque partis mutuam cohaesionem esse aestimatam, quod tum olfieri possunt (§. cit.). Physiologorum enim demonstratis y) effectum est, nullum

salivam paucō sale lixivo infectam demonstrarunt Philipp. VERHEYEN in *Corporis humani Anatomise* Libr. II. Tr. I. Cap. XXV. & Io. Conrad. BARCHUSEN in *Aeroamat. Experimentor.* pag. 364. & 374; de eodem vero humoris gastrici & bilis sale, compendii causa, vel solum Illustrum Alb. de HALLER, in *primis lineis Physiolog.* pag. 342. & pag. 379. edit. primae, excitasse testem sufficiat.  
y) Videlis haec accuratissime demonstrantem Illustrum Georg.

lum omnino a qualicunque corpore excitari posse odorem, nisi salia contineat, aliorum corporum confortio non nimis irretita, & ad solutionem a nostri corporis liquoribus attentandam non inepta.

§. XVI.

Ex paucioribus itaque illis moleculis *acidi vitrioli* & φλογες (§. XIII.), utriusque satis libere & separatim operantis (§. XV.), universa sulphuris medicamentosa virtus aestimari diiudicarique debet. Acidae portionis, utpote copiosioris (§. XIII.), quae sint generalia effecta, in corpore humano edenda, abunde satis docent supra iam a nobis de acidi salis communis spiritus, praesenti hoc vitriolico aliquantum debilioris, efficaci virtute disputata (§. VII.). Hac igitur ex parte quodvis sulphur, interno usu adhibitum, & solidas corporis partes, quae quidem irritabiles sunt, ad fortiorum lacesset motum, & fluidas, si lympham excepéris, comprimet lenique inter se iunget coagulo (§. cit.). Verum enim vero quemvis, sulphure, tanquam medicamento, usurum, praeter ea considerare oportet, omnem hanc acidi sulphurei virtutem, certam quidem veramque, sed debilem fore atque infraētam. Namque primo ex adsumto sulphureo remedio generatim paucissimae eiusdem generis particulae sanguini reliquisque humoribus admiscentur (§. XV.); porro quoque quantulacunque haec acida portio plurimis chyli, sanguinis, féri lymphaeque aqueis particulis diluitur, temperatur atque subigitur; proprius denique vero

D 2                    vide-

org. Erhard. HAMBERGERVM in *Physiologiae medicae Cap.*  
*XI. Sect. III. §. 909. seq. & §. 884. seq.*

videtur, aliquam huius acidi partem a sale lixivo volatili succorum nostri corporis supra (§. XIV.) commemoratorum absorberi, & in blandius ammoniacale genus immutari.

## §. XVII.

Sed ab inflammabili quoque parte, seorsim operandi libertatem naēta (§. XVI.), sulphur non prorsus iners atque inefficax est reputandum. Evidem haud ignoro, rationes virium eiusdem, quum in omni, quam late patet, corporum ambitu nunquam simplex alienisque partibus libera deprehendatur, multa adhuc obscuritate esse circumfusas: tradam tamen per breviter, quae & attentorum Physicorum Medicorumque experientia detexit, & ratio eidem innixa distinetius evolvit. Nobilissimam levissimamque τὸ φλογῆσθαι naētum est naturam. Exinde quae porro legitima ratione conficiat Physicus, hoc loco ignorare omnino nefas est. Namque is, demonstrata hac inflammabilis materiae indole, ostendit<sup>z</sup>, ipsum hoc inflammabile elementum omnibus aqueis, terreis, salinisque humorum nostrorum particulis promptissime adhaerere, elaterem partium elasticarum, quae liquoribus insunt, reddere maiorem, globulos expandere fluidos, eorundemque mobilitatem, hoc est, fluorem conservare &, in primis in canalibus aequa elasticis ac conicis, efficere celeriorrem,

<sup>z)</sup> Vnicum saltem huic rei confirmanda testem adhibuisse sufficiat, Excellentiss. nimisrum Georg. Erb. HAMBERGERVM in Element. Physic. §. 232. n. 2. §. 400. & 401, 414, 415, & 430. n. 2.

rem, tandemque dissolutioni humorum iuvandae & producendae, particulisq[ue] sui generis, forte in humore quodam ad alienas partes annexis, liberandis atque in similis efficacitatis motum ciendis, maxime esse accommodatum. Docentibus ergo haec, reique evidentissimis probationibus fidem facientibus rerum naturalium doct[or]ibus, hoc est, testibus omni exceptione maioribus, etiam a nobis φλογίσῃ, licet parcissima copia e sulphure egressi (§. XIII. XV.), in corporis nostri humores, vim atque efficaciam *resolventem*, *commoventem*, atque hac ratione simul canales *irritantem* declarari, quid vetat? Summa ergo atque primaria *coniuncta sulphuris virtus medica* (§. XIV. XVI.), si solidas corporis nostri partes spestemus, *stimulans*; humorum vero intuitu, *resolvens a*), sed ex omni parte, ob exiguisimam medicamenti portiunctilam bibula vasorum oscula subeuntem (§. XV.), longe *moderata* tenuisque est statuenda. Videant ergo singularem virium (§. XIV.) praedicatores, quomodo easdem ex generali illa, quam nos demonstratam dedimus, virtute solide, ut par est, explicare possint b).

D 3 RIBTON §. XVIII.

- a) Leve enim illud & vix commemorabile, humorum coagulum, ab acida parte effectum, statim denuo per inflammabile, ubique secum alias inflammabiles particulas, sanguini praecipue insitas, ad sociam vim efficaciamque exercitans, tollitur dissolviturque.

b) Sulphuris exiguae hae vires promoverunt quoque Celleberr. Ioh. Frider. CARTHEVSRVM aliosque Clarissimos Veteros, ipsi adsentientes, vt de usu eiusdem interno parum hono-

## §. XVIII.

Saepe vero numero, quid? quod frequentius sulphuris vulgaris in medicina locum occupat aliud quoddam sulphur, vario artificio e metallicis semi-metallicisque corporibus eductum (§. XII.); inter quod & commune illud, si adiunctas isti tenerimas metallorum calces demiseris, nihil omnino interest. At vero, tamen et si subtilissima arte a metallis separatur hoc sulphur, nunquam tamen perfecte purum, omnisque contagii terrestris metallici expers c) obseruatur. In eruendis ergo *sulphuris metallorum* virtutibus ad duo potissimum respiciemus: primo, quaenam ab huiusmodi terris metallicis effecta in humano corpore sint exspectanda, (de simplici enim sulphurea parte abunde iam egimus (§. XIII.-XVII.); deinde, utrum singulis his partibus, metallorum sulphur constituentibus, terrae nimirum metallicae vulgarique sulphuri, mutua ipsarum coniunctione aliquid propriarum virium decadat accedatur, aut immutetur, nec ne? Maxima & paene quotidiana inter medicos *sulphuris antimonii*, variis modis parati, est frequentatio: huic ergo, tanquam praecipuo cuidam exemplo, porro contemplando singularem hanc operam addicemus. Neutiquam tamen aliquid nobis iniicient morae tot tamque variae illius

confi-

honorifice senserint: de quo videri possunt *Illijs Fundam. mater. medi. Sect. XVI. Cap. I. §. V.*

c) Quod facile intelliget lectorus eruditissimam Celeberr. Io. Henr. POTT, *Dissert. de sulphuribus metallorum*, habitam Halae, 1716. & dein infertam eiusd. *Exercitation. chymic.* Berolini, 1738.

conficiendi rationes: quum in praesenti sufficiat ad institutum nostrum, solam partium, ex quibus idem constat; indolem accuratus considerasse.

§. XIX.

Infinitis paene plurimorum perspicacissimo-  
rum Chemicorum examinibus, quae subiit antimo-  
nium, luculenter compertum est, *terreas* illas sub-  
tiles *particulas*, in quovis antimoniali sulphure (§.  
XVIII.) reperiendas, ipsam esse eiusdem semimetal-  
li *partem metallicam*; quam & vulgatori nomine re-  
gulum appellant. Quae quantae sit in corpus hu-  
manum efficacitatis, ne dicam violentiae, melius est  
per exempla ostendere, quam in hac temporis char-  
taeque angustia longius per ratiocinia ex ipsa ab-  
strusa intricataque huius regulinae portionis natura  
deducere atque mixtione. Enimvero qualem pu-  
temus illum vel medicinae tironem, cui non inno-  
tierint vehementissimi isti vomitus frequentissimae-  
que alvi purgationes, haud raro funestae observa-  
tae, quae a vitri antimonii, croci metallorum, regu-  
li antimonii simplicis, &c. usū interno accidisse vi-  
sae sunt. Atqui haec singula maxima sui parte ipso  
illo semimetallico antimonii corpore constant. In-  
de ergo intellectu haudi est difficile, terrae huic an-  
timoniali vim esse insitam d), irritabiles nostri cor-  
poris fibras vehementer vellicantem stimulantem-  
que, humores vero in praeceps coagulum, obstru-  
endis

d) Cuius ratio facile perspici potest, si curatus arsenicalis  
natura, huiusque fons, acidum nimirum salis communis,  
terre virfescibili & parciori inflammabili iunctum, eius-  
que rodentes vires (§. VII.) considerentur.

en dis inflammandisque adeo vasculis maxime idoneum, potenter coërcentem (§. VII.). Paene eadem, & tantum non paullo graviora effecta, eademque etiam rationes de regulinis *auripigmenti arsenicique* massis fusiū dici possent, si hiç copiosa & absolutiori uti liceret oratione.

## §. XX.

Sed dispiciendum porro est, utrum aeris haec atque arrodens regulina antimonii portio (§. XIX.) & simplex sulphur, dum in unum coaluerunt corpus, alterum alterius vires augeat, an imminuat suspendatur (§. XVIII.)? De sulphure, metallicae terra vehementiam multum reprimente, nihil est, quod habeat dubitationem. Scilicet, teste experientia, antimonium crudum, ipsa sulphura eiusdem vulgo dicta aurata, &c. quae regulinam partem continent multo sulphure involutam, longe adeo minori irritatione corporis nostri partes adficere animadventuntur, ut aut lenissimos tantum vomitus excitant, aut alvum blande subducant, aut, ut potissimum fieri solet, reliquis quoque viis, praeferunt cutis spiraculis, exernenda eliminant expedite. Quorum effe-

<sup>e)</sup> Eximie quoque inflammabilis materiae in aëris metallorum particulas regulinas imperium demonstrat mirificum illud Edimburgensem medicorum remedium antidyfenticeum, vitrum nempe antimonii ceratum: cuius parum operosam praeparationem exponunt die *Edinburgischen Versuche*, V. Band, I. Theil, N. 15. pag. 238. sq. Edit. germ. Altenburg. 1752. Spectat quoque huic, exempli loco, *auripigmentum* eiusque sulphur, minus, ut putari solet, formidabile, aut ad internos usus incommodeum. Referri quoque huic possunt dicta §. XII.

effectorum, quantum ego quidem iudico, haec veri simillima videtur ratio. Sulphurum, exempli causa, antimonii auratorum, si intus fuerint adsumta, simplices puraeque sulphureae particulae, moleculas regulinas amplexae, dum in ventriculo intestinisque haerent, paucissimas quasdam tenuissimasque sui generis particulas amittunt, partim lixivo liquorum ibi praesentium sale solutas atque surreptas, partim peristaltico ventriculi & intestinorum motu f) detritas (§. XV.); unde dein aliqua perpaucula corpuscula metallica, vinculo suo exuta, adeoque sibi relicta, insuperque facile a quovis nostri corporis liquore nonnihil, ut ex Chemicis constat, solvenda, bibulos lacteos canales & hinc reliquos cuiuscunque generis ineunt, virtutemque, quam innatam habent (§. XIX.), stimulantem ubicunque edunt, minime tamen moli suae convenientissimam, hoc est, parvam maximeque temperatam.

§. XXI.

Igitur inita singulorum, haetenus (§. XII-XIX.) de quolibet sulphure dictorum, ratione, nullo intellegitur negotio, in unoquoque metallorum sulphure generatim, & singulariter antimoniali g), virtutem praeci-

b) f) Sulphur antimonii auratum, si vel leviter teratur, graviter odoratum ferit; quod ideo monemus, ut meminerint hoc quoque loco lectores eorum, quae supra (§. XIV. XV.) inde deduximus.

g) Cui ego gravissimis quoque de rationibus *auripigmenti sulphur*, cuius iam not. e) mentionem inieci, aequiparandum censeo. Illustris b. m. Frider. HOFFMANNVS illud, sublimando paratum, & florū *auripigmenti* nomine no-

E zatum,

praecipuam esse positam moderate *stimulantem* atque *resolventem* (§. XV. I. XX.). Neque, si rem recte pensaveris, nimis supra meritum communis pae- ne plurimorum, artem medicam exercentium, praedicatione elata putabis sulphura illa, in primis pu- riore atque teneriora, vulgo aurata dicta; utpote quorum vis blande stomachum invertens, aut alvum laxans, itemque diaphoretica, discutiens, roborans atque anodyna, & si qua est alia huiusmodi, facillime ad generales illas virtutes revocari potest. Omitti- mus, quibusnam peculiaribus morbis non sine effi- cacie haec sulphura proponi possunt; quum alias qualiscunque haec recensio propositi operis for- mat sit excessura.

## §. XXII.

Enimvero coniungamus nunc utraque haec praestantissima remedia, illud nimirum efficax *mer- curiale*, salino consortio firmatum (§. III.), hoc *sul- phureum* (§. XII.), in primis metallicis particulis fo- tum: ut *tertiae* demum huius Capitis particulae (§. II.) satis fiat. Quid singula haec medicamenta efficere possint, haec tenus (§. III-XXI.) exposuimus: multum ergo nostra interest, utrum utriusque re- medii efficacitas a mutua coniunctione quomodo- cunque immutetur, nec ne? porro expedire. Ad

quod

tatum, iam pridem in *Observation. physico-chemic. Libr. XII.* Ob. II. ad lympham ab impuritatibus liberandam, tan- quam efficax remedium, commendavit. Sed eiusdem sul- phuris, viliori minusque operoso modo parandi, rationes expositas vide, si placet, in *Io. Henr. SCHVLZII Praelect. in Dispensat. Brandenburg. P. 18. Edit. Noriberg. 1753.*

quod breviter respondebimus. Nostra coniungendi atque ad communem efficaciam consociandi mercurii dulcis sulphurisque metallici ratio non requirit exactiorem aliquam arctioremque utriusque partis connexum, sed simplicem tantum commixtionem, solo tritu perficiendam. Quo facto quum neutra pars, dum paratur medicamentum, ne minimam quidem immutationem prodat, merito iudicare nos oportet, ipsa hac confectione neutiquam vires remedi aliter esse definitas.

§. XXIII.

At vereri aliquis posset, ne forsan his rationibus praestantissima atque efficax mercurii dulcis virtus a sulphure admixto in ipso ventriculo suspenderetur atque prorsus sufflaminetur. Qui enim vera a falsis internoscere didicerunt Medici, pridem perspexerunt, absolutissimum in mercurii naturam sulphuris esse imperium, adeo, ut, quem semel arripuit, teneat occidatque, & in materiam inertem inefficacemque convertat: cuius rei luculentum si stunt exemplum cinnabaris b) aethiopsque mineralis.

b) Nescimus profecto, quid potissimum caussae habuerit Celeberr. Car. Frider. HVNDERTMÄRK, cur in illius *Dissertationis*, cuius supra in Prooemio mentio est facta, §. VI. Illustrem PRAESIDEM nostrum inter praecipuos cinnabaris patronos, qui aegerrime sibi eiusdem usum eripi patiantur, numeraverit. Ipsum enim, etiam in academia viventem publicoque docendi munere fungentem, oportebat non ignorasse, nequaquam semper a solemnibus Dissertationibus peti posse argumentum eorum, quae sentiat Praeses. Quemadmodum enim hic non omnium, quae

lis. Sed nostri, quod commendamus, remedii salva res est. Primo enim paucissimas tantum particulas sulphuri surripiunt tritus saliaque, quae supra enarravimus, lixiva (§. XIV. XV.): deinde quoque arctior est spiritus salis communis acidi cum mercurio coniunctio (§. VI.), quam ut eiusmodi calore, quem ventriculus & intestina fovent, se dissolvi prorsus patiatur. Quam ob rem simplici ex ante dictis consecutione conficimus, singulas vires medicamentosas, mercurio dulci sulphurique praecipue antimonii aurato seorsim a nobis adiudicatas, in medio hoc exinde composito fore coniunctas. Huius ergo generis *medicamenrum mercuriale*, ope salium paratum, & deinde metallico cuidam sulphu-

ri  
ipso Praefide defenduntur, academicarum commentationum auctor est: ita saepe quoque numero fieri solet, ut in dubiis & sub lite adhuc positis rebus non omnia ad suam former sententiam, sed ipsum quoque auctorem suo sentire ingenio patiatur. Veriora ergo edoceri se sinat Excell. HYNDERTMARK, ipsumque definitum *Illustris PRAE-SIDIS* nostri de cinnabari iudicium ex *Eiusdem Fundament.* mater. medicae, proximis nundinis Lipsiensibus in lucem prodituris, discat. Nimirum Part. I. Claff. VII. §. XXX. zonta, inquit ille, cinnabaris non est efficacia, quanta olim ex errore ipse adsignata fuit praediicio, dum intima ac firmissima cohaesio partium non permittit, ut vel in sensibilioribus subiectis aliquem directum exercere queat effetuum. Atque ne Celeberrimus vir hanc recenter mutantam existimet sententiam: testes vocamus omnes nostros commilitones, qui nobiscum optime norunt, hunc libellum *Illustris PRAE-SIDIS*, auditorum calamis hactenus exceptum, aliquot iam abhinc annis ne verbulo quidem esse mutatum.

riūnctū, eximiae virtutis *resolventis* atque *stimulantis* (§. XI. XXI.) aëstimator.

## CAPVT II.

DE

POTIORIBVS MORBIS SPECIATIM, IN QVI-  
BVS REMEDII MERCVRIALIS, SALIVM OPE-  
PARATI ET SVLPHVRE METALLICO PERMIXTI  
VSVS EST SALVTARIS.

## §. XXIV.

Sed omne, licet praestantissimum remedium, suis  
accommodandum est morbis. At vero quum  
prior ista Dissertationis nostrae particula velut for-  
mam instituti excesserit: conferemus in compendi-  
um verba, summaque brevitate illos attingemus  
morbos, quibus nostrum remedium, de quo dis-  
serimus, salutariter proponi posse, partim aliorum  
observationibus stilo signatis, partim ipsa nostra  
qualicunque experientia compertum habemus.  
Æquum autem esse iudicavimus, de ipso huius *me-  
dicamenti adhibendi modo* praemonere quaedam.  
Quod ad *formam* spectat, optimam censemus *pulve-  
ris* aut *pilularum*. Prioris specimen primi exhibue-  
runt *observationum Edimburgensium medicarum Au-  
tores* <sup>i)</sup>; quorum haec est praescriptio: Rec. Sul-  
phuris aurati antimonii, mercurii dulcis, an. q. p.

E 3

diu-

<sup>i)</sup> Tom. I. n. 6. p. 52. edit. german. Altenb. 1749. aut in Ex-  
cellent. Paul. Gottl. WERLHOFII Actor. medic. Edimburgens.  
Specimin. duobus, Hanover. 1735.

diuturniori tritu fiat pulvis, de quo bis vel ter quotidie decem quindecimve grana sumantur. Ego veritus, ne a nimio sulphure mercurii efficacitas non-nihil obtunderetur, eiusdem portioni dimidiā de-traxi partem atque ad haec pulveris dosin imminui. Scilicet haec est formula: Rec. Lapidum cancro-rum praeparator. drachmas duas, mercurii dulcis ri-te praeparati drachmam unam, sulphuris antimonii aurati ultimae praecipitationis k), semidrachmam, fiat pulvis, de quo sex grana vesperi adsumi debent. Tandem qui *pilulis* magis favent, iis commoda se-quens erit praescriptio l): Rec. pulveris prioris unc. dimidiā, gummm. guaiac. drachm. tres, resin. guaiac. drachm. unam, balsami Copav. q. s. ut fiat massa pi-lularum, ex cuius singulis drachmis formentur pilulae duodecim; de quibus tres quovis mane, totidemque vesperi deglutienda sunt. Ceterum bis vel ter quotidie hoc remedio uti licet; optimus au-tem eius usus mihi visus est contigisse iis, qui cubi-tum ituri medicamentum adsumierunt. Insuper diaetae regiminisque, quod Medici dicunt, ratio-nem optimam esse oportet.

### §. XXV.

Principem huius medicamenti virtutem atque efficacitatem peculiariter sibi postulant omnes illi pessimi lymphae corruptae adfectus: quos inter quo

k) Saepius quoque, optimo eventu, scrupulum unum *sul-phuris auripigmenti* (conf. not. g) huic definitae quanti-tati adieci.

l) Confer *Act. med. Edimburg.* loc. citat.

quo magis eminent venerei morbi, eo quoque certius praestantiusque remedium idem hoc, crebrioribus observationibus, deprehendi; quas enarrare singulas, longum hic foret. Non tamen tempero mihi, quin praesentissimas, quas vidi, eiusdem vires in scabie venerea turpioribusque labiorum fissuris, difficulter alias iterum coeuntibus, praedicem. Leprae aliisque malis cutaneis medicandis fuisse convenientissimum, in *Actis Edimburgensis* antea laudatis relatum legitur. Iisdem de rationibus herpeti quoque capitisque tineae opponi potest. Admodum nuper coepi quoque mulieri, annos circiter triginta natae, gutta rosacea insigniter tinctae, eundem hunc, quem descripsi (§. XXIV.), pulverem dare quotidie sumendum, imperavique diaetam tenuem; unde quoque iam imminui turpis faciei color videtur. Novi quoque eodem pulvere spinae ventosae obnoxios, multisque ulceribus, foetidissimam faniem plorantibus, ubique perrosos, eximie fuisse sublevatos *m*). Bis quoque alterum scirrhosum testem longiori huius remedii usu reseratum restitutumque vidi.

### §. XXVI.

Porro quoque observatum est, in febribus intermittentibus, nec non catarrhalibus benigni moris, in primis glandularum colli parotidumque tumori-

*m*) De cuius morbi natura, hoc remedium optime ferente, conferenda quoque est *Illustris PRAESIDIS Dissert. de remediis mercurialibus, spinae ventosae medicandas interdum idoneis, Halae 1754.*

moribus comitatis, ab huiusmodi remedii mercu-  
rialibus salinis atque sulphureis brevi tempore tuto-  
que expugnatos esse horum malorum fontes. Flu-  
oris albi benigni bienne stillicidium, quod omnia alia  
respuerat medicamenta, huic demum cessisse, com-  
pertum habeo. Denique quodsi olim curae meae  
se commiserint hydrope, itemque cataracta incipi-  
ente laborantes, non verebor, haud dissimilibus ex-  
emplis allectus, ut, quid in his etiam morbis tollen-  
dis huius remedii virtus valeat, experimento di-  
scam. Atque ut paucis omnia complectar, pluri-  
ma illa mala, a quacunque visciditate humorum, ob-  
structione vasorum, debilitate fibrarum, &c. origi-  
nem ducentia, optime huius remedii usum perfe-  
rent. Quam ob rem, paginarum temporisque an-  
gustia interclusus, differendi finem faciam, meque  
& has qualescumque primitias litterarias lecto-  
rum benevolentiae, hoc autem, cuius naturam usus-  
que explicui, medicamentum maior ampliori-  
que commendo frequentationi.

S. D. G.



00 A 6332 (1)  
VD 18



Dietrich ✓



# Farbkarte #13

B.I.G.

Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19



D IN AVGVRALIS MEDICA  
DE  
AMEN TORVM  
CVRI ALIVM  
ARATORVM, EFFICACITATE,  
SVLPHVR AD CERTOS QVOS.  
S MAGIS ACCOMMODANDA

QVAM  
NVMINIS AVSPICIIS  
ET  
RDINIS MEDICI INDVLTV  
RAE S IDE  
ELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO  
EA ELIA BVCHNERO  
MANI IMPERII NOBILI,  
SSIAE REGI A CONSILIIS INTIMIS,  
AE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,  
TIS MEDICAE H. T. DECANO,  
EM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE  
ITE PALAT. CAESAREO,

ADV DOCTORIS  
CINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
IME IMPETRANDIS,  
GVSTI, A.S.R. CIOCCCLIV.  
REGIA FRIDERICIANA  
BLICE DEFENDET  
AVCTOR  
ERHARD RICHTER  
TEINIO - VARISCVS.

VRG. LITTERIS HENDELIANIS.